

**Dissertatio medica inauguralis, de enteritide / [Daniel O'Donovan].**

**Contributors**

O'Donovan, Daniel.

**Publication/Creation**

Edinburgh : J. Moir, 1823.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/p79rkhzm>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA  
IN

ENTERITIDE.

ANNO MDCCCXXXIII.

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ENTERITIDE.

---

ENTERTIN

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

ENTERTIN

---

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

DE

ENTERITIDE:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

*RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DANIEL O'DONOVAN,

*HIBERNUS.*

---

Haud ignara mali miseris succurrere, disco.

---

*Kalendis Augusti, hortâ locoque solitis.*

---

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIII.



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

ET

ENTERTIDE

QUAM

ANNUNTIAT SUMMO NUMERO

EX AUCTORITATE ACADEMIAE MEDICINAE


D. GEORGI BAIRD, S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRÆSENTI

AD

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMIAE CONSISTENS ET  
HONORABILISSIMAE FACULTATIS MEDICINAE DECRETIS

PRO DOCTORIS



EDINBURGENSE IN MEDICINA

DANIEL O'DONOVAN

EDINBURGENSE

Handwritten text: *Handwritten text, possibly a date or signature.*

Handwritten text: *Handwritten text, possibly a date or signature.*

EDINBURGI

EXCUBENT JOHANNES MORRIS

MDCCLXXIII

DISSERTATIO MEDICA

FRATRI SUO DILECTISSIMO

TIMOTHEO O'DONOVAN,

*ARMIGERO,*

HOC OPUSCULUM,

FRATERNAE AMICITIAE SUMMAEQUE OBSERVANTIAE

SINCERUM TESTIMONIUM,

LUBENTISSIME DEDICAT

AUCTOR.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

TIMOTHY O'DONOVAN

PH.D. THESIS

NOV 19 1964



UNIVERSITY OF CHICAGO LIBRARY

PH.D. THESIS

NOV 19 1964

UNIVERSITY OF CHICAGO LIBRARY

PH.D. THESIS

NOV 19 1964

UNIVERSITY OF CHICAGO LIBRARY

PH.D. THESIS



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ENTERITIDE.

---

---

AUCTORE DANIELE O'DONOVAN.

---

---

**PYREXIA** Typhodes, dolor abdomenis pun-  
gens, tendens, circa umbilicium torquens;  
vomitus; alvus pertinaciter adstricta. **CUL-**  
**LENUS** duas Idiopathicas species fecit.—  
**Phlegmonidem**, dolore acuto, pyrexia, vehe-  
mente vomitu et alvo adstricta. **Erythema-**  
**ticam**, dolore et pyrexia lenioribus, sine vo-



mitu et cum diarrhoeâ. Has vero species, sibi probè constare, ex pluribus observationibus memoriae tradidit, atque recentiorum medicorum diligentia, hanc sententiam magnâ ex parte confirmavit. An vero species secunda, quam Erythematicam nuncupat, Erysipaliti sit affinis minus convenit, sed nemo dubitat, quin haec affectio saepissime membranam mucosam intestini solam occupet, eo sensu quo CULLENUS, accepisse videtur. Vocabulum HIPPOCRATICUM Ileus, apud auctores recentes varie accipitur; multi pro Colicâ praesertim si haec desinat inflammationem; alii pro volvulo; HEBERDENIUS pro Enteritide habet, et Doctor ABERCROMBIE nuper in tentaminibus suis definit, “esse perturbationem actionis  
“musculosae quâ alia intestini pars vacua et  
“contracta fit, alia vehementer distenta,”

plerumque tamen in inflammationem desinit. Haec species simplex Ileus est, sed alteram dat speciem, quae organicum affectum aliquem conjunctum habet, sine obstructione; et tertiam, cum mechanicâ obstructione quâdam. Variæ quidem formæ, quibus hic morbus obrepit, varia signa omninò exhibent, plerumque subitò supervenit, sed melius erit diversas ejus facies sigillatim tradere, cum variis signis quibus stipatur morbus. Enteritidis aggressum fere prænunciant horrores, obstipatio vel Colica, et Febricula nonnunquam committatur cum virium insolita depressione, et sensu fatigationis; in aliis exemplis, diarrhoea antecedit, mucosa, foetida in paucis adeo biliosa quam in nonnullis casibus, Enteritidis initia Dysenteriam ingruentem valde referant, maximè, quando morbus exanthematis su-



pervenit, agitatio quaedam ventris vix verbis depingenda, sed non dolorem habens nonnunquam procedit; saepe ventriculi labores, inflatio, nausea, ructus, ipsi vomitus soli nuncii sunt; nec rarò inveniuntur exempla, ubi morbus subitò atque nullo nuncio praegresso in omnem saevitiam suam violenter exardet, dolor totum fere ventrem occupans aliquando sedi propriae adhaerens, et in plerisque maxime circà umbilicum torquens, dolor magnus cruciat, atque latius circà umbilicum circuitur, uti videtur pressione abdomini admota dolor mirè augetur, adeo ut ne stragulorum quidem pondus aeger saepenumero ferre posset; quin saepe cruciatu ex eorum contactu percitus aeger miserè ejulare cogitur, quod autem ad sensum aegri attinet, hic dolor res praecipua est, sed medico fallacissimus erit index, nisi alia si-



mul signa circumspiciat, nimirum saepe remittit, multis modicus est, vel etiam nullus et fere omnibus casibus accedente gangraenâ conquiescans. Vomitus aliquandò materiae biliosae diversi coloris, atrae vel quam porraceam vocant, aliquando mucosae, saepe inutilia tantum conamina ad vomendum cum ingestis quibuslibet protinus rejectis, ructus, nausea, alvus pertinaciter adstrictâ, diarrhoeâ ad finem properante, singultus et vomitus niger saepe videntur, cum his signis febris jungitur, qualis calor, sitis, anxietas, pulsus, velox, durus et parvus indicat, febre accedente, signa omnia ingravescunt, intestini spasmis irritantur, quorum muscoli abdominis participes in nodos durissimos contrahuntur, imò vesica in consensum rapi videtur, nec nisi cum difficultate ac dolore humorem suum reddit. Haec

ferè notio morbi generalis est, sed multum variatur pro parte et modo quo intestinum afficitur.

#### DE CAUSIS.

QUIBUS causis proclive corpus humanum redditur, in hoc malum nondum omninò constet, validi juvenes, vel strenui viri hoc morbo non magis immunes sunt, quam vagientes pueri, tenere mulierculae vel exsucci senes, causae quae precipue excitant Enteritidem, sunt, frigus pedibus applicatum, aut ventris ictus, vel alia injuria intestini, intussusceptio, Hernia contortio aliave strangulatio fecerunt, obstructions, sive exortae ex spasmò, strictura, tumoribus, scybalis, concre-



tionibus, rebus alienis, verminibus, pressione  
externâ, acria ingesta, obstipatio diuterna,  
venena quaedam uti plumbum, quamvis  
non alvo recepta, morbi translati uti Poda-  
gra, Rheumatismus.



*DE PROGNOSE.*

DE morbi cujuslibet eventu, praesagia biforiam respiciunt; haud enim minus ad generalem morbi naturam, solitumque cursum aspecimus, quam eam conditionem, ejus quam ad curandam sortiti sumus. In primo sensu, prognosis nostra periculi plena erit, si morbus per aliquot dies sine levamine duraverit, si causa excitans interna sit, ut Colica, vel concretiones, uno verbo, qualem submovere ars medica nondum didicerit; si senex aegrotet, si prioribus accessionibus debilitatus, diuturnae alvi duritiei assuetus sit, si signa demum idoneiis remediis non cedant, sed gangraena potius vel suppura-

tionis signa prae se ferant, in tali exemplo minima est spes recuperationis. Contra quando signa non valde urgent, quando causa excitans externa fuit, et jam abiit, uti frigus consuevit, quando dolor et anxietas remediis cedere, alvus respondere videntur, haud imprudentis erit bene praesagire.



*DE DIAGNOSE.*

A Colica, Hernia, Dysenteria, Diarrhoea, Cholera, Gastritide, Peritonitide, Hysteritide, Enteritidem distingui et licet et oportet; a volvulo aut Intussusceptione a rebus alienis ingestis, et concretionibus non facile licet. His enim plerumque conjungi maximumque morbi partem efficere consuevit; affectum supra Ileum dictum ad Colicam hic refero. Colica etiamsi saepenumero in inflammationem transeat, vel etiam hunc comitem nonnunquam habeat, protinus ab initio haud aegre ab Enteritide dejudicetur, nullam enim febrem habet, pressu levatur,



quin maximè inde solamine gaudet; porro e spasmis maxime constat, ex quo redit levamen doloris intervallo interjecto, quae quidem omnia in Enteritide diversè se habent, ibi febris fere perpetua est, dolor maxime pressu auctus, doloris vix ulla remissio, praeter eam quam dira intestinorum putredo fecerit. De Herniâ manifestâ quidem mora haud longa discriminanti erit, praeter enim tumorem externum, sensumque veluti tractationis ad eundem cum vomitu, febris diu abest, tormina circa umbilicum fere desunt, tussiendo tumor et dolor circa tumorem augetur. Dysenteria si causam excitantem et sedem excipias, Enteritis est, nimirum ea morbi species, quae tunicam internam occupat; praeter vero inflammationem videtur adesse intestini talis contractio, qualis descensum stercoris naturalis impedire queat,

eo fit, ut dejectiones mucosae sint, vel sanguinae, mistae cum scyballis, malis vel aliis profluiis in Enteritide ignotis. His igitur indiciis comparatis cum modica febre, virium integritate, natura loci ac epidemica morborum indole, haud facile de hac diagnose aliquis titubare poterit. Diarrhoea et Cholera symptomata haud aegre discernenda exhibent. Gastritis graviore ad vomitum nisu, absentia torminum circa umbilicum, ardore quodam Epigastri peculiare distinguitur, quando quidem coli transversus arcus sedem inflammationis praebet; signa gastritide ex necesse valde similia oriuntur, et valde difficilis est veram distinctionem et firmam proferre. De Peritonitide atque Hysteritide eadem difficultates premunt, signa enim subsimilia sunt, ac sedes dolores haud absimiles, nihilominus, Peritonitis positu corpo-



ris magis afficitur, ac liberum alvum habere potest. Hysteritis, os uteri dolens, causam plerumque manifestam secretionem, uteri propriam suppressam, sexum, aetatem, vitaeque conditionem laborantis, habet quibus distinguui possit.



*DE CURATIONE.*

CONCILIUM medendi est in primis sedare inflammationem, deinde ne recurrat quantum fieri possit, cavere; primum consilium praecipue expletur, sanguinis missione copiosa; in hoc morbo, propter consensum aliquem inter partem affectam et compaginem arteriosam, circulatio mirum in modum reprimitur, haud raro ut videmus cum crebris defectionibus animi sanguine vero liberalius detracto, pulsus roboratus, atque cor et arteriae per universum corpus, quasi novo vigore indutae, fortius firmissimae micant, hinc medici iis levatis melius letiusque fere autumant ideoque liberant

vasa quam primum congesto sanguine. Quodocunque res se habeat, certum est Enteritidem haud minus quam plerasque alias inflammationes, fere solo hoc remedio domari. Sanguis, ratione habitâ, virium corporisque ad doloris levamen detrahi debet, ex certo enim sanguinis pondere vel unciarum numero nulla erit securitas. Hirudines utilissimae sunt applicatae abdomini, quando ulla signa inflammationis apparent post venesectionem, et quando magna debilitas obstat quominus repetamus generalem detractionem sanguinis. Alvus Calomelane, Oleo Ricini, vel Sulphate Magnesiae, tendanda erit, atque si cuiquam ex iis respondeat dolor et anxietas interim conquiescant, optima spes est recuperationis. Curationem vero multum promovebit fomenta calida admovisse abdomini, emplastra exul-



ceratoria, qualia sunt emplastrum cantharidis, vesicatoria vel unguentum tartratis antimonii, quin etiam, re urgente, aquâ calidâ vel vapore ejusdem quam proxime ad partem affectam admotis utatur medicus. Balneum calidum bonum habetur, et nuper audiivi Doctores multum laudare balneum vaporis. Si tamen morbus his remediis non prima vice cedat, iterum iterumque adhibenda sunt donec aut aeger signa valetudinis redeuntis ostendat, aut ultimae debilitatis aut demum morbi terminationem lethalem, sed etiam in ultimis stadiis debilitatis stimulantia aliquando vitam fere restaurasse experientia docet. Ad secundum concilium compendiosior erit medici cura nam per se natura plerumque robor vigoremque convalescentibus conciliat, raroque morbus fit recidivus regimen vel causa quaedam ex-



tranea sit accusanda, idcirco subactâ inflammatione, victu, dieta tenui erit utendum; hujusmodi sunt aqua hordei, sago, jus bovinum, vel Gallinaceum, sorbtiones diluentium copiosae, solida parca et paullatim praebenda sunt. Si alvus pigra adhuc resstat, cum clysmatibus idoneiis ducere oportebit, quod in ipsa inflammatione haud sinistre succedit. Quando jam eo venit aeger ut probe ambulare possit, jam vino diluto excercitatione leni quae citra fatigationem sit, cum aliis auxiliis roborantibus, erit utendum.

FINIS.

